reditus in patrium ſolum [1] præcedensque dignitas [2] reſtituta ſit, poteſtas tamen patria [3] repetita non videtur.

De reditu, De militia, De exiſtimatione.

7. Imp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C. Caſſio.

GEneralis indulgentia noſtra reditum [4] exulibus ſeu deportatis tribuit: non etiam loca militiæ [5] pridem adempta conceſſit, neque [6] integram atque illibatam exiſtimationem reſervavit.

De ſervis.

8. Impp. VALERIANUS & GALLIENUS AA. Seleuco P.P.

FRuſtra [7] adhuc ſervum [8] eſſe tui juris exiſtimas, qui in metallum damnatus, pœna ejus poſtea liberatus eſt. Per hujusmodi enim indulgentiæ occaſionem integrari dominium prius non placuit: verum idcirco tamen impune tibi eum Præſes provinciæ injurioſum eſſe [9] non patietur. Quod ſi quid rerum tuarum tenet, Procurator vobis judex erit: fiſci enim cœpit eſſe mancipium.

De patria poteſtate.

9. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Reſtitutæ & aliis.

SI pater veſter in inſulam deportatus, generali indulgentia reſtitutus eſt, nec ut liberos in [10] poteſtatem reciperet, ſpecialiter [11] impetravit: in dubium non venit, hereditatis commodum per vos ei acquiri, quos ſententia contra eum prolata patresfamilias effecit, nequaquam potuiſſe.

De effectu indulgentiæ.

10. Iidem AA. & CC. Demetrio.

CUm indulgentia noſtra interveniente ſis reverſus ad lares tuos, fruſtra vereris, ne ex annotatione [12] Præſidis, quæ jam abolita eſt, calumniam [13] patiaris.

De lite ante deportationem mota.

11. Iidem AA. & CC. Philippo.

CAſus ejus, qui fundi moverat quæſtionem, & ex benignitate noſtra facta [14] in eum cum bonis reſtitutio, ſtatum priſtinum cauſæ non immutavit.

De ære alieno.

12. Iidem AA. & CC. Tryphoni P. P.

SI deportationis ſententiæ veniam indulgentia noſtra conſecuta ſuam recepit [15] ſubſtantiam, ſe protegere ſceleris pœna contra [16] creditores, quominus jure debitum ſolvat, improbe conatur.

De patria poteſtate, & ejus effectibus. 4. De bonis, dignitate & patria poteſtate.

13. Imp. CONSTANTINUS A. ad Maximum P. U.

IN [17] quæſtione teſtamenti, quod deportati filius remeante patre feciſſet, remotis Ulpiani, atque Pauli notis, Papiniani placet valere ſententiam, Ut [18] in patris ſit filius poteſtate, cui [19] dignitas, ac bona reſtituta ſunt. §. 1. Ita [20] tamen, ut geſta per filium, cujus conſilia legitima ætas firmaverat, rata ſint, eodem in poteſtatem patriam redeunte, ne eorum reſciſſio efficiat (quod eſt maxime abſurdum [21]) eodem [22] tempore nec in patris, nec in ſua quemquam fuiſſe poteſtate. §. 2. Minores enim ætate jure quicquam agere prohibentur. Quibus ſi damnato patre tutor datus eſt, neceſſe eſt ut ab officio ſuo recedat, regreſſo eo, quem non ſolum nomine [23] redire, ſed etiam officium [24] ſuum nulla pravitate corruptum liberis præbere oportet, ut eorum bona tueatur, & augeat. Nam [25] ſi patria poteſtate ad [26] corrumpendi, atque effundendi patrimonii licentiam abutatur: ut furioſo, ac dementi, itemque prodigo [27], libidinum omnium, vitiorumque ſervo, non eſt eorum pecunia committenda: [quin] ab adminiſtratione fugiat, neque tutor eſſe deſinat, omniaque minoris diſpendia ſuis ipſe damnis præſtet. Sententia vero deportationis nullo patrem præjudicio diminuat.

§. 3. Quem ſi comperta integritas, ut naturæ, ita officio liberis reſtituerit, ei gubernacula [28] rerum tradenda ſunt, cujus ad imitationem publici juris proviſa cuſtodia eſt. Quæ niſi bonis patribus detur, luctuoſior erit [filiis] reditus, quam diſceſſus. §. 4. Ideoque tantum [29] ad reſtitutionem indulgentia valeat, quantum ad correctionem ſententia valuit: utque *deportationis* ipſum per ſe [30] nomen [31] rerum omnium ſpoliatio eſt: ita indulgentiæ reſtitutio [32], bonorum [33] ac dignitatis, uno nomine amiſſorum omnium ſit recuperatio. Et filii emancipationem a patribus officiis petant: ut libertatem non damnationis, ſed lenitatis paternæ teſtem habeant. Dat. 18. Kalend. Octobr. *Sirmii*, CRISPO II. & CONSTANTINO II. C. CONSS. 321.

14. [34].

Explicatus eſt Codicis DN. Juſtiniani PP. A. Repetitæ prælectionis liber nonus.

1 Indulgentia generalis patriam reſtituit. vid. *d. l.* 7. 2 Indulgentia generali fama non reſtituitur *l.* 3. *ſupr. de generali abolitione.* 3 Indulgentiam generalem conſecutus liberos ſuos in ſuam poteſtatem non revocat. vide Sfortiam Oddum *d. tract. de reſtit. quæſt.* 94. *art.* 3. 4 Indulgentia generalis patriam & in eam reditum tribuit. *ut hic*, & *l.* 4. 5. 6. *ſ. h. t.* adde Sfort. Oddum *d. tract. de reſtit. quæſt.* 94. *art.* 2. 5 Indulgentia generalis, neque militiam, neque famam reſtituit. 6. *Synopſ. Baſil.* 3. *ex lib.* 60. *tit.* 58. *cap.* 11. adde *l.* 3. *ſupr. de generali abolit. l.* 10. *in fin. infr. h. t.* Ideoque ſi generali principis indulgentia redierint omnes relegati & deportati, neque militias ſuas recipient, & infames manebunt. *Syn. d. loco.* 6 Vide quæ ſcripſi ad *leg.* 3. *ſ. de generali abolitione.* 7 Reſtitutis a pœna, ſervi non reſtituuntur. 8 Indulgentia generali domino conceſſa, non reſtituuntur ei ſervi fiſco commiſſi ex deportatione ipſius domini. 9 Servi reſtituti, dominis injurioſi eſſe non debent. dixi ad *leg.* 13. *in fin. ſupr. de pœnis.* 10 Reſtitutio jus patriæ poteſtatis non reſtituit, niſi ſpecialiter jus poteſtatis reſtitutum fuit. *Ecl. dicto loco, c.* 13. adde *leg.* 6. *ſupr. h. t.* aut dignitas ac bona ſint reſtituta. *l.* 13. *in pr. infr. h. t.* 11 Vide *l.* 2. *in fin. ſupr. h. t.* 12 Præſes non deportat, ſed deportandum adnotat, eamque adnotationem plerumque ſequuntur principes. *l.* 6. §. 1. *ff. de interdict. & relegat.* 13 Reſtituti adverſus præſidis adnotationem ſtatus in dubium revocari non debet. 14 Dixi ad *l.* 5. *ſupr. h. t.* adde *l.* 21. *ff. de verb. ſignif.* 15 Dixi ad *leg.* 4. *ſupr. h. t.* 16 Reſtitutus in integrum, non poteſt uti beneficio reſtitutionis in fraudem creditorum.

17 *l. unic. C. Theod.* 18 Patriam poteſtatem recuperat deportatus, cum primum reſtitutus eſt. 19 Dixi ad *l.* 9. *ſupr. h. t.* 20 Reſtrictio regulæ: facit *lex* 8. *ff. de pact. dotalib.* atque ita reſtituta patria poteſtate deportato reſtituto, quæ intermedio illo tempore geſta ſunt per ejus filium, rata ſunt. 21 Abſurditas vitanda. 22 Contraria duo ſimul concurrere non poſſunt. Nec enim quis poteſt eſſe eodem tempore ſui juris, & in alterius poteſtate. 23 Nomine tantum reſtituitur patriæ poteſtati, qui adminiſtrationem rerum filii non recuperat: quique ad ejus bonorum adminiſtrationem non reſtituitur. 24 Patris officium eſt, res liberorum recte adminiſtrare. 25 Reſtituta alicui patria poteſtate, reſtituitur eidem jus adminiſtrandorum bonorum, ſi modo legitimæ adminiſtrationis capax ſit. 26 Adde *l.* 50. *ff. ad SC. Trebell.* 27 Prodigus libidinum, omniumque vitiorum ſervus, *ut hic*, neque modum, neque finem expenſarum habens, bona dilacerans atque diſſipans. *l.* 1. *ff. de curat. fur.* everſor. dixi ad 1. *Caji ult.* his addatur elegans prodigi deſcriptio ex Paul. 3. *ſent.* 4. §. 7. 28 Vide quæ ſcripſi ad *l.* 11. *ff. de verb. oblig.* 29 *l.* 6. §. 12. *ff. de injuſto, rupt. & irr.* 30 Nominis vis ſpectanda. 31 Deportatio, rerum omnium ſpoliatio. 32 Indulgentia bonorum, dignitatis reſtitutio. his adde, quæ de verbo *reſtituendi* ſcripſi ad *l.* 35. *l.* 75. *ff. de verb. ſign. l.* 173. §. 1. *ff. de reg. jur.* 33 Vide quæ ſcripſi ad *l.* 2. *ſupr. h. t.* 34 Deeſt hic conſtitutio, quam vide apud Cujac. 20. *obſerv.* 31.

D. JUSTINIANI
SACRATISSIMI PRINCIPIS, PP. A.
CODICIS
REPETITÆ [1] PRÆLECTIONIS,
LIBER DECIMUS [2].

TIT. I. [3].
DE [4] JURE [5] FISCI [6].

De donatione præcedente obligationem fiſcalem.

1. Imp. ALEXAND. A. Attico, & Severo [7].

SI prius [8] quam fiſci rationibus pater veſter obligaretur, perfectam [9] prædiorum donationem [10] feciſſe fuerit probatus: quod citra fraudem creditorum geſtum eſt, non reſcinditur [11].

De computatione a Tabulariis facta.

2. Imp. GORDIANUS A. Serenio [12].

INſtar rei judicatæ obtinere minime [13] poteſt computatio a Tabulariis [14] facta: niſi ſententia Procuratoris [15] fuerit comprobata.

De venditione in fraudem fiſci.

3. Idem A. Atticæ.

SI minori [16] pretio, quam res eſt, aperta fraude [17] emptoris vel gratia, quæ obligata ſunt fiſco [18], venierint: aditus Procurator [19] meus debitam quantitatem inferenti [20] reſtitui ea prædia jubebit.

De metroicis.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Niceti [21].

CErta forma ſuper metroicis [22] data eſt, qui juſſu principis in aliam civitatem translati ſunt. Nam prædia [23] eorum, quæ antequam demigrarent, habuerint, ſi ab eis [24] diſtracta non eſſent, fiſci rationibus vindicari jampridem decretum eſt: niſi aliud ſpeciali præcepto Auguſta majeſtas decrevit. Ut igitur a Principibus ſalubriter ſtatutum eſt, ita ſalvis his quæ utiliter placuerunt, parentibus [25] heredes eos exiſtere minime oportere, nulla legis ſanctione ſtatutum eſt.

De bonis non capiendis ſine autoritate Principis.

5. Exemplum ſacrarum literarum eorundem AA. ad Flaccum.

PRohibitum [26] eſt, cujuscunque bona, qui fiſco locum feciſſe exiſtimabitur, capi, priusquam [27] a nobis forma fuerit data. Et ut omni proviſionis genere occurſum ſit Cæſarianis [28], ſancimus licere [29] univerſis quorum intereſt, objicere manus his qui ad capienda bona alicujus venerint, qui ſuccubuerit [30] legibus: ut etiamſi Officiales auſi fuerint a tenore datæ legis deſiſtere, ipſis privatis reſiſtentibus, a facienda injuria arceantur. Tunc enim is cujus intereſt bona alicujus non interpellari, Officialibus volentibus ea capere, debet acquieſcere, cum literis [31] noſtris cognoverit, non ex arbitrio ſuo Cæſarianos (id eſt Officiales) ad capiendas easdem veniſſe facultates: ſed juſtitiæ vigorem [32] id fieri ſtatuiſſe.

Si non ſuo tempore agatur.

6. Imp. CONST. A. ad provinciales [33].

JUſtas etiam, & quæ locum habent, fiſci actiones præcipimus concremari [34], ob hoc ſolum, quod ſuis [35] temporibus prolatæ non ſunt: ut [36] jam [37] calumniæ privatorum eo ſaltem arceantur exemplo, quo juſtas fiſci lites ſilere præcipimus. Dat. 3. Kal. Jun. CONSTANT. A. V. & LICINIO CC. CONSS. 319.

De bonis lite pendente non occupandis, ſi poſt rem ſecundum fiſcum judicatam interverſum quid fuiſſe apparuerit.

7. Idem A. ad Voluſianum P. U. [38].

DEfenſionis [39] facultas danda eſt his quibus aliquam inquietudinem fiſcus infert: cum facultates eorundem adhuc [40] controverſia pendente inquietari deſcribique fas non ſit. Ubi ergo controverſia extiterit, fiſco alicujus patrimonium vindicante, apud eum [41] omnibus facultatibus conſtitutis cognitio ventiletur [42]: ut cum rei exitus debere eas vindicari [43] probaverit, tunc demum res perſequi liceat, & ſuper modo facultatum ac rerum interrogationem haberi, quæ per conditionales [44] ſervos inveſtiganda eſt: ut ſi quid ſubtractum [45] fuerit, exigatur, & extrinſecus integrum tantum [46] aliud multæ nomine, quantum fuerat per fraudem ablatum. † Sane in hujusmodi quæſtione, ſi Cæſariani [47] nomen inciderit, ad uſurpationem conſtitutionis iſtius non debebit accedere [48]: ſiquidem conſuetudo fraudum, quibus prædicti [49] omnia temerare conſueverunt [50], exceptionem eorundem meruit [51]. Dat. prid. Kalend. *Sirmii*, CONSTANTINO A. VII. & CONSTANTIO C. CONSS. 326.

1 Al. *Ex repetita prælectione.* 2 Juris fiſci vocabulo etiam privilegium fiſci comprehenditur, *l. Ælianus. ff. de manumiſſ. l.* 2. *ſupr. de privil. fiſci.* qui titulus an, & quid a noſtro hoc diſtet, docebit te Cujac. *hic.* præter quem etiam ad hos tres libros poſteriores ſcripſere Plateanus, Penna, Pulvæus, Pyrrhus Anglebermæus & Alciatus. porro fiſcus eſt cophinus ſive ſporta, ejusque appellatione non ſacrum tantum ærarium, id eſt, ſacræ largitiones ſive theſauri continentur, de quibus proprie fiſcus dicitur, *l.* 3. *ſupr. de quadr. præſc.* ſed & privatum, id eſt, res & largitiones privatæ Auguſti vel Auguſtæ, *l.* 1. *infr. de locat. præd. civil. l.* 1. *infr. de collat. fund. fiſc.* vide *l.* 9. *hoc tit. infr.* Mod. 3 Titulus hic generalis eſt: de privilegio vero fiſci *ſupr.* ſpecialis, ut quo de ſpeciali hypotheca fiſci tractatur. 4 Addebant veteres, *& populi*, & Paul. *lib.* 5. *ſent.* 12. ſic Lampridius *in Alexandro* ſcribit, *eum leges de jure fiſci & populi moderatas & juſtas tuliſſe.* Cont. 5 Id eſt, privilegio, adde *Lib.* 7. *tit.* 73. *ſupr. L.* 49. *D.* 14. Fiſcus num eodem modo reſtituitur in integrum, ut minor & Eccleſia: & ſic hi tres in reſtitutionibus comparantur, ſi per ſuos geſtores & procuratores damnum ſenſerint? Comparantur. *Pyrrhus l.* 6. *infr. h. t. Gloſſ. l. ſi curator.* 5. *in fin. ff. de jure fiſci. l. ſub ſpecie.* 4. *ſupr. de re jud. l. un. infr. de ſent. adverſ. fiſc. latis. l. Imperatores.* 35. *ff. de re judic. cap. auditis. x. de in integ. reſtit.* vid. Everard. *loco a minoribus ad fiſcum.* 64. de ſententia vide, quæ ſcripſi ad *l.* 3. *ſupr. in quibus cauſ. in integr. reſtit.* de mora *l.* 14. *ſupr. de procurat.* Goth. Ad hunc tit. vid. Boſſ. *tit. de fiſco & ejus privileg.* Alciat. & Cujac. *Anſ.* 6 Id eſt, ærarii, tam ſacri, quam privati. *l.* 9. *infr. h. t.* Porro fiſcalium originem ita veteres quidam repetunt a provinciarum inter Principem & Populum partitione: quasdam enim Imperatoris, quasdam pop. Romani factas fuiſſe, ut ex earum provinciarum reditu haberet P. Romanus aliquid, quod in rem ſuam propriosque uſus verteret, & hæc fiſcalia ſeu publica appellata, quæ pleno jure dominii populi eſſent, ita ut ea etiam alienaret pro ſuo arbitratu. Cæterum ut P. Romanus, ita civitates reliquæ quasdam etiam res peculiares habuere, fundos puta, ſervos & ſimilia: quibus adminiſtrandis, imo etiam alienandis, a principe idoneus quis præficiebatur. Quin hujusmodi res quoque in dominio cujusque civitatis erant, ut priores illæ in P. Romani: hæc tantum differentia fuit, quod quæ P. Romani res erant, fiſcales & publicæ proprie: quæ civitatum, proprie civiles, improprie vero publicæ & fiſcales dicebantur. 1. Harm. 2. §. 46. Suet. *in Aug.* 7 *Hujus legis inſcriptio ſic ex manuſcript. l. reponenda eſt:* Impp. Severus & Antoninus AA. Attico & Severo. *al.* Sereno. 8 Adde *l.* 10. §. 1. *ff. quæ in fraud. cred. l.* 4. *ſupr. de privil. fiſci.* Quid ſi quis eadem die cum alio contraxit, qua cum fiſco? Fiſcus præfertur, ſi cum privato contractum fuerit titulo lucrativo, *ut hic*, ſecus ſi oneroſo. Ripenſ. ad *l.* 10. *ff. de pign. n.* 8. Fraus enim facilius præſumitur adverſus fiſcum in cauſa lucrativa, quam oneroſa. *l.* 1. §. *ſi quis in fraudem.* 12. *ff. ſi quid in fraud. patroni.* Goth. Donatarius a fiſco conventus hypothecaria, in dubio probare debet donationem præceſſiſſe, ut abſolutio ſequatur. Rip. *ad l. ſi debitor. n.* 7. *ff. de pignoribus.* Hannibal de Cano *ad l. poſt contractum. ff. de donat. num.* 43. 45. & 47. Camil. Viſit. *ad l.* 1. *ff. ſolut. matr.* præter quos adi etiam Ægidium Boſſium *in tit. de fiſco & ejus privilegio fol.* 377. Mod. 9 Perficitur vulgo donatio traditione vel mancipatione: in filios, etiam nuda voluntate. *l.* 4. *C. Theod. de donat.* Cujac. *hic.* 10 Vid. *l.* 9. §. *ſed in his. ſupr. de bonis proſcript.* 11 *Sub.* Pauliana: at non hypothecaria vel in factum, quarum neutra reſciſſoria. Cuj. 12 Al. *Sereno.* 13 Poteſt igitur retractari. 14 Tabularii qui, dixi ad *l.* 7. *ſ. de exact. tribut.* Goth. Tabularii eorum, quæ publico inferuntur & debentur, rationes conficiunt. *l.* 1. *& l. miſſi. infr. de exact. tribut. l.* 2. *infr. de muner. l.* 1. *infr. de immun. nem. conc. l.* 1. *ſ. de cenſib.* Vide autem Coraſ. *lib.* 3. *miſcell. c.* 11. Mod. 15 Qui & rationalis. 16 Vid. Cujac. 16. *obſ.* 29. 17 Aliud ſi bona fide. *l.* 1. *infr. ne fiſcus.* 18 Id a fiſco, id eſt, procuratore vel officio ejus. 19 Imo præſes. vid. *l. pen. ff. de reſc. vendit.* 20 Vid. *l.* 16. *ſ. de reſcind. vendit. l.* 2. *infr. de fide & jur. haſtæ. Tit.* 3. *h. lib. l.* 1. *ſupr. de præſcr.* 30. *ann. l.* 9. *ff. de reſcind. vend.* 21 Mucatraulo, ut *ſupr. l.* 7. *de reſcind. vend.* 22 Al. *Metœcis*, Recte. *Metœci* ſunt coloni & incolæ, qui ex una civitate in aliam migrant, juſſu principis, *ut hic. l.* 12. *in fin. ff. de excuſ. tut.* Dixi ad *tit. ff. ad munic. & de incolis.* Goth. Suidas *metoecos* dici eos tradit, qui extra patriam habitant; & tributum quod ab his perſolvitur *metoecion.* erantque Athenis olim *metoecia* feſtus dies, ob receptos in civitatem colonos. Cæterum conſtituitur hac lege; ut τῶν μετοίκων prædia in fiſcum redigantur, quæ ab eis diſtracta non fuerint; niſi ſpecialiter id eis Princeps conceſſerit, ut ea ſibi retineant: ſic tamen, ut non arceantur a ſucceſſione parentum in ea civitate relictorum, ex qua emigrarunt. Unde & poſtea ſibi ex ſucceſſione in eadem civitate bona acquirere poſſunt, ex alia cauſa forſitan non æque, *arg. l. milites. ff. de re milit.* aut Forcatulum *Necyomant. jur. dialog.* 18. Mod. 23 Prædia incolarum (qui hic μέτοικοι) quæ antequam migrarent juſſu principis habuerunt in fiſcum redigenda, niſi princeps id eis conceſſerit, ut ea ſibi retinerent. 24 Al. *his.* 25 Metœci non arcentur a ſucceſſione parentum in ea civitate relictorum, ex qua migrarunt. 26 Nunciis principis non creditur ſine literis. *Bart.* 27 Officiales procuratoris Cæſaris bona caduca occupare non poſſunt, ſine auctoritate principis. 28 Cæſariani officiales procuratoris Cæſaris, dixi ad *l.* 10. *ff. de publicanis.* Goth. Qui & *Catholiciani* dicuntur *in l. pen.* §. *ult. ſupr. de bon. proſcript.* quemadmodum procurator ipſe *Catholicus* ſæpe in lib. βασιλικῶν appellatur. *Mod.* 29 Reſiſtere licet officialibus & Cæſarianis, bona caduca occupantibus ſine juſſu Principis, atque ita permittitur cuique injurioſos conatus eorum prohibere, ſi quid injuria facere cœperint aut voluerint: licet, inquam, id iis, quorum intereſt, *ut hic.* Tenentur quoque injuriæ. Paulus *l.* 5. *ſent.* 12. §. 6. Quoties ſine autoritate judicati officiales alicujus bona occupant, vel deſcribunt, vel ſub obſervatione eſſe faciunt, adito procuratore injuria ſubmovetur: & hujus rei autores ad P. Prætorio puniendi mittuntur. *Goth.* Vid. Marci *deciſ.* 772. Anton. Fab. *ad Cod. l.* 7. *tit.* 20. *defin.* 15. Pecc. *de jure ſiſtendi cap.* 22. & 23. S. L. 30 Legend. *quæ ſuccubuerint*, id eſt, ceciderint in cauſa caduci. 31 Vid. *l.* 1. *ſupr. de mandat. principum.* 32 Vigore. 33 *C. Theod. h. tit. l.* 3. 34 De igne & ignis pœna, vid. *l. un. ſupr. de Nili aggerib.* 35 Fiſci actiones intra ſuum ac legitimum tempus inſtituendæ: poſt tempus legitimum, moveri non poſſunt. 36 In C. Theod. deeſt, *ut*, & ſic novus verſiculus incipit, *jam &c.* Goth. τὸ *ut*, inducit etiam Cujacius: qui ait ſententiam hanc eſſe: Si abolentur juſtæ fiſci lites præſcriptione temporis, quid fiet de injuſtis & calumnioſis privatorum litibus? *Mod.* 37 Si fiſci litibus etiam juſtis præſcriptio objiciatur, quanto magis injuſtis privatorum objici poteſt & debet. 38 *C. Theod. h. t. l.* 5. *deſunt.* 39 Id eſt, reclamandi copia. adde *l.* 46. *ff. h. t.* & 1. Harm. 2. §. 44. 40 Conventorum a fiſco bona, pendente ipſa lite neque deſcribi, neque diſtrahi debent. Poſſeſſio apud reos remanere debet, *ut hic.* niſi officiales ſint procuratores Cæſaris. *verſ. ſane. infr. h. t.* 41 Poſſeſſorem. 42 *Sub.* apud rationalem. 43 *Vindicare, in C. Theod.* 44 Conditionales tabularii, huic conditioni addicti & mancipati, adeo ut non poſſint ad aliam aſpirare militiam vel dignitatem. dixi ad *l.* 11. *ſupr. qui potiores.* 45 Al. *ei fuerit.* 46 Et ſic duplum, ut *l.* 46. §. 1. *ff. h. t.* Imo quadruplum, ut *l.* 8. *infr. h. t.* dixi ad *l.* 45. §. 13. *ff. h. t.* 47 Cæſariani ſeu officialis Procuratoris Cæſaris a fiſco conventi bona, ſtatim ſeu ab initio litis ipſius motæ, a fiſco poſſidentur, vel deſcribuntur, *ut hic*, quod in aliis non eſt. *ſupr. h. t.* Cur hic aliud in Cæſariano, quam alio homine? Præſumptionem malæ fidei poſſeſſionis, conſuetudo fraudum inducit. *in fin. infr. h. t. l.* 2. *C. Theod. de bonis vacantibus.* 48 Al. *Abſidere.* 49 Al. *prædicta.* 50 Præſumitur mala fide poſſidere, qui conſuevit alium fraudare. Jus id ἐκ τῆς προλήψεως ſeu præſumptione eſt, ut notant Græci, teſte Cujacio ad *Novell.* 22. *in fin.* Hinc colligunt, publicæ rei adminiſtratores, qui ad illud munus inopes venerunt, ſi poſtea divites facti fuerint, ex publica pecunia divites factos fuiſſe præſumi, ſi modo id, conſtante adminiſtratione, acquiſiverint, non poſt redditas Reipublicæ rationes. adde, quæ dixi ad *l.* 10. *in fin. ſupr. arbitr. tutela.* 51 Meruerit, in *C. Theod.* al. *meruerunt.*

De interverſorum pœna.

8. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Dracontium, Vic. Africæ.

QUi [1] in contractibus ſceleſtis, ac fiſco pernicioſis interverſorum [2] maculoſis ſeſe fraudibus implicuerint: quadrupli [3] redhibitione teneantur. Dat. 15. Kalend. Decembr. *Adrumeti*, VALENT. & VALENTE AA. CONSS. 365.

De ſuſceptoribus. De Irenarchis. De Optione.

9. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Patricio Comiti rerum privatarum [4].

SUper [5] creandis ſuſceptoribus [6] periculo Procuratorum [7] rei dominicæ [8], diſpoſitionem tuæ ſublimitatis firmam eſſe præcipimus: ita ut omni ambitione ceſſante, quæ ſtatuta ſunt, quæque antiqua conſuetudine commendantur in pabulis [9], vel ſumptu familiæ miniſtrando, intemerata permaneant: ſuper Irenarcha [10], & Optione [11] omni antiqua [12] conſuetudine obſervanda. Dat. 3. Kal. Januar. *Conſtantinop.* THEOD. A. IX. & CONSTANTIO II. [13] CONSS. 420.

De bonis mortuorum ante condemnationem.

10. Iidem AA. Palladio P. P. Orientis [14].

EOrum patrimonia mortuorum [15], qui vitæ ſuæ tempore diverſis conſcientiam ſuam dicuntur polluiſſe criminibus, fiſci rationibus nequaquam competere [16], [vel ab eo alienari [17]] cenſemus, niſi poſt publicam accuſationem eos conſtiterit fuiſſe convictos [18]. Dat. 8. Id. Jul. *Ravennæ*, EUSTATHIO, & AGRICOLA CONSS. 421.

Intra quod tempus lis finienda ſit.

11. Pars undecimæ conſt. ex *lib.* 56. βασιλ.

OMnis [19] publica actio intra ſex [20] menſes poſt litis conteſtationem peragatur: niſi forte contingat, ut ſit neceſſe, vel perſonas, vel inſtrumenta quædam ex provinciis accerſiri in Regiam Urbem, aut ſi ipſimet, qui conveniuntur, cauſam dilationis præbeant, utpote ſi ſe imparatos dixerint.

TIT. II.

DE CONVENIENDIS FISCI DEBITORIBUS [21].

1. Imp. GORDIANUS A. Saturnino & aliis.

NOn injuſta ratione deſideratis, repromiſſa fiſco indemnitate, eos priore [22] loco conveniri, qui reliqua contraxerunt, mox ad vos perveniri qui ab his quædam mercati eſtis.

Cautio quæ non probat contra fiſcum, ſed contra officiales, facit ut officiales primo conveniantur. Bart.

2. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. & VALER. C. Erophilo [23].

FIſco quidem contra te manet actio, quod argentum [24] quod inferre debebas, rationibus fuerit relatum, ſi cautionem quæ tibi ſuper eo expoſita eſt, Tabularius non ſubnotavit: æquum [25] tamen eſt, ut prius de bonis ejus qui exactor fuit, ſi ſolvendo eſt, [& [26]] conveniendi ejus facultas datur, indemnitati fiſci ſatisfiat [27]: tunc a te, ſi ſervari hic modus non poſſit, repoſcatur.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Januario & aliis.

QUoniam [28] Augerio [29] ac filio ejus ad exigenda reliqua [30] conſortes [31] vos atque conſocios [32] eſſe dicitis, eisque certorum [33] duntaxat nominum exactionem mandatam [34]: nec inter eum [35], & cæteros, qui exactores fuerant nominati [36], confuſæ exactionis mutuum periculum conſtitutum [37], ſed ſeparato muneris [38] obſequio [39] diſcretam ſollicitudinis rationem fuiſſe adſeveratis: a jure non diſcrepat, ut prius [40] ex bonis exactorum qui principali loco ad exactionem fuerant deſtinati, indemnitati fiſcali ſatisfiat: poſtque eos, ſi ſolidum debitum exolutum non ſit, nominatores conveniri. Rationalis [41] igitur noſter juris ordinem ſequetur: excuſſisque exactorum facultatibus nec non etiam nominatorum, ſi fiſcus in univerſi debiti quantitate [42] ſecuritatem indemnitatis conſecutus non fuerit, etiam vos ad reſtituenda fiſcalia debita adſtringet [43].

4. Imppp. VALENT. VALENS & GRAT. AAA. ad Archelaum Com. Orientis [44].

HI [45], qui fiſco noſtræ manſuetudinis obnoxii ſunt, omiſſa fruſtratione [46] teneantur, ut quod ſuis nominibus debent, de ſuis facultatibus cogantur exolvere [47]: ſervatis, cum compleverint [48], allegationibus propriis, ſi quas adverſus quoscunque ex ſuis contractibus debitores competere ſibi ex jure crediderint: ita ut adverſus eos, quos ſibi obnoxios adſeverant, legibus & judiciis experiundum eſſe cognoſcant. Dat. 3. Non. Jun. *Novioduno*, VALENTIN. NB. P. & VICTORE CONSS. 369.

Scriptura propria non facit fidem pro ſcribente, vel ejus herede, etiamſi fiſcus ſibi ſucceſſerit. Bart.

5. Iidem AAA. Fortunatiano Comiti rerum privat. [49].

INter [50] chartulas confiſcati [51] brevis [52] quidam adſeveratur inventus [53], qui nomina continebat debitorum, ſeu contractuum [54], cum tamen neque teſtibus credita pecunia probetur, neque cautionibus [ea] quæ [55] [brevi] inſerta ſunt, oſtendantur, iniquum [56] eſſe perſpeximus, ut ſub propria adnotationis manu unusquisque ſibi faciat debitorem. † Occaſionis igitur hujusmodi calumniam præſenti volumus juſſione cohiberi: ut brevis vanitate rejecta, nullus ad redhibitionem [57] de his quorum nomina conſcripta ſunt, urgeatur [58]. Quod & in aliis ſimilibus [59] cauſis obſervandum eſſe cenſemus. Dat. prid. Non. Jul. *Hierapol.* GRATIANO A. IV. & MEROBAUDE CONSS. 377.

TIT. III.

DE FIDE [60] ET JURE [61] HASTÆ [62] FISCALIS, ET DE ADJECTIONIBUS [63].

1. Imp. ANTON. A. Curtiæ.

QUod in libellum contuliſti, procuratori meo ad cujus officium deſiderium tuum pertinet, allega: cui [64] ſi probaveris non [65] auctore procuratore, vel eo cui vendendi fuit facultas, neque habitis haſtis, neque omni ordine peracto venditas res eſſe: & id quod ex cauſa judicati debes, exolveris, reſciſſa venditione mala fide [66] facta, easdem res recipies cum fructibus quos ad emptorem mala fide perveniſſe, vel [67] pervenire debere conſtiterit. PP. Non. Jan. ANTON. A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

1 Ex *l.* 10. *tit.* 1. *l.* 10. *C. Theod.* 2 Interverſor hic & *l.* 12. J. *de ſuſcept.* decoctor pecuniæ publicæ. dixi ad *l.* 2. J. *de Palatinis ſacrarum largit. l.* 12. *tit.* 24. Goth. Hi in quadruplum tenentur. *l.* 1. J. *de his, qui ex publ. rat. l.* 1. J. *pœn. fiſc. cred. præf. l. in fraudem.* §. *pen. ff. de jure fiſc.* Imo in duplum. *l. prox.* §. *l. aufertur.* §. 1. *ff. h. t.* ita eſt, in iis, quæ fiſco nondum acquiſita ſunt; in acquiſitis jam locus eſt actioni in quadruplum. *Mod.* 3 Vide quæ ſcripſi ad *l.* 45. §. 13. *ff. h. t.* 4 *Cod. Theod. h. tit. l.* 17. hinc conſtat, agi hoc titulo de rebus ærarii privati, ut *l.* 1. J. *de locat. præd. civil. l.* 11. *tit.* 70. alias proprie fiſcus, ſacrum ærarium, ſacræ largitiones, ſacri theſauri. 5 Comitis rerum privatarum diſpoſitione, ſuſceptores rei privatæ creantur, pabula & annonæ præſtantur familiæ rei privatæ, ſuos enim famulos ſuamque familiam res principis privata habuit. 6 Suſceptores rei privatæ creantur periculo procuratorum rei privatæ, *ut hic*, ex comitis rerum privatarum diſpoſitione, *ut docet hujus legis inſcriptio.* 7 Comes rerum privatarum principis privati ærarii curam gerebat per procuratores, *Theod.* 3. *c.* 12. *Græci* 6. *Baſil.* Differt autem a Comite ærarii ſive ſacrarum largitionum, ſive theſaurorum, de quo ſcripſi ad *l.* 2. J. *ut dignit. ordo ſervetur. l.* 12. *tit.* 8. uterque tamen eſt illuſtris. 8 Id eſt, rei privatæ ipſius principis. 9 Pabula quæ & capita, *tit. ſupr. de annonis & capit.* animalium; ut annonæ, familiæ dominicæ ſumptus. 10 Vide J. *de Irenarchis.* 11 Optio eſt erogator annonæ militaris. 12 Creantur Irenarchæ periculo decurionum & ex diſpoſitione præſidum. *l.* 1. *infr. de Irenarchis.* & *ad l. Divus. ff. de cuſtodia reorum.* ita definiuntur: εἰρηνάρχαι οἱ τῆς τοῦ δήμου εὐταξίας ἐπιστατοῦντες. *Optio* autem eſt, non, ut vult Accurſius, qui publica exigebat; non, ut Alciat. qui ægrotorum vice fungebatur, ſed qui erogabat annonam militarem: de utrisque autem vide plura apud Cujacium *obſervat. lib.* 1. *cap.* 33. & *ad l.* 7. J. *de exactor. tribut.* Mod. 13 *Al.* III. 14 Ex *Cod. Theod. l.* 16. *tit.* 10. *lib.* 10. *ubi additur*, poſt alia. 15 Mortuorum ante condemnationem bona fiſco non vindicantur. 16 *Competi*, in *C. Theod.* 17 Abſunt a *C. Theod.* 18 Id eſt, condemnatos. *Goth.* Ergo etiam ſi poſt accuſationem deceſſerint, pœna publicationis bonorum in heredem non tranſit: excepto crimine perduellionis. ſed quid ſi deceſſerint poſt appellationem? hoc decidit aperte *l. ult. ſupr. ſi reus vel accuſ. mort. fuer.* Mod. 19 *Ex collectione Ant. Auguſtini.* 20 Omnis cauſa fiſcalis poſt eam conteſtatam finienda eſt intra ſex menſes: ideoque in *l. properandum.* 13. *ſupr. de judiciis*, recte excipiuntur cauſæ fiſcales. *Goth.* Cauſæ pertinentes ad publica munera, quæ in eadem lege excipiuntur, finiendæ ſunt intra tres menſes. *l. generali. infr. de decur.* Mod.
21 Vid. Peregrin. *de jure fiſci lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 3. & *lib.* 6. *tit.* 7. *n.* 1. Anſ. 22 Fiſcus hoc ordine excutit debitores: priore loco reum ipſum principalem, tum interceſſorem, deinde poſſeſſorem hypothecarium. *ut hic, l.* 47. *ff. de jure fiſci.* Exigit quidem exactor publicorum tributorum debitorem debitoris fiſcalis jure tacitæ hypothecæ: prius tamen excutit reum principalem quam poſſeſſorem. Fiſcus eam electionem non habet. 23 *Patrophilo*, vet. 24 Fiſci debitor non continuo liberatur, hoc ipſo quod exactor retulit in rationes publicas, debitorem ſolviſſe, ſed tum demum, cum tabularius ſubnotaverit: ut hinc conſtet exactorem a tabulario diſtingui. Exactoris munus inter cætera fuit, exacta in rationes publicas referre, tabularii ſubnotare. *l.* 1. *infr. de canone largit. h. l. tit.* 23. 25 Apocha quæ non probat contra fiſcum, ſed contra exactorem fiſci, tantum id efficit, ut a fiſco prius conveniatur exactor, quam debitor. 26 Deeſt in quib. lib. al. *aut.* 27 Satisfaciat. 28 Si diviſa eſt adminiſtratio a judice, vel ab ejus officialibus, primo convenitur gerens, fidejuſſores, & nominatores ipſius, quam perveniat ad collegam. Bart. *Goth.* Vide Ludovic. Roman. *ſingular.* 324 Anſ. 29 Augierio. 30 Reliquis exigendis plures etiam exactores eligebantur: quidam ad certorum tantum nominum exactionem, *ut hic.* 31 Conſortes, conſocii. 32 Sociatos. 33 Al. *cæterorum.* 34 Multum intereſt, exactio diviſim mandetur, an pro indiviſo. 35 Al. *inter vos*, quod rectius exiſtimat Cujac. *ut in fin. etiam vos.* 36 Nominatim. 37 Al. *additur*, eſt. 38 Al. *nominis.* 39 Al. *additur*, quo. 40 Fiſcus, quoties pro indiviſo pluribus mandata eſt debitorum fiſcalium exactio, priore loco experitur adverſus exactores: deinde adverſus nominatorem exactoris: ſi pro diviſo, prius experitur adverſus nominatorem, quam adverſus exactoris collegam, *ut hic, & l.* 2. *infr. de ſuſceptorib. præpoſ. & arcariis. h. lib. tit.* 70. hinc colligit Decius in *l. in toto jure.* 80. *ff. de regulis jur. num.* 21. in mandatis fiſcalibus mandata ſpecialia non derogare ſpecialibus aliis mandatis. 41 Fiſci procurator. 42 Quantitatem. 43 Conſtringet. 44 *C. Th. l.* 10. *tit.* 16. *l.* 2. 45 Fiſco obnoxii ſine mora conveniantur (ἀνυπερθέτως μεθοδευέσθωσαν) & ubi fiſco ſatisfecerint, tum deinde adverſus creditores experiantur. *Syn. Baſil.* 9. *tit.* 5. *ex lib.* 56. *tit.* 6. *c.* 40. §. 10. 46 Id eſt, tergiverſatione, & moroſa dilatione. Fruſtrari, eſt moram trahere, tergiverſari, vide *l.* 233. *ff. de verb. ſign.* 47 Fiſcalis actio non differtur, quoad ipſe debitor fiſci ſuos debitores exegerit. adde *Nov.* 128. 48 Complere debitorem his libris, eſt ſolvere & ſatisfacere creditori. *l.* 43. *in fin. ff. de adminiſtr. & peric. tutor. l. ult.* §. 3. §. *de teſt. manum.* Goth. Recte enim & alibi dicitur, *creditorem adimplere*, pro, creditori ſolvere. *l. cum poſt.* §. *ult. ff. de admin. tut. l. ult. ſupr. de teſtam. man.* & Lib. βασιλικῶν tit. 4. καὶ πληρώσας σε, & hoc loco μεθ' ὃ πληρώσουσι τὸν δημόσιον. Mod. 49 *C. Theod. hoc tit. l.* 3. 50 Fiſcus ex breviariis rationibus confiſcati quemquam convenire, quaſi confiſcati debitorem non poteſt. 51 In *C. Theod.* erat *deportati*, ſed Tribonianus elegit nomen generalius. 52 Id eſt chartula, ſive libellus brevis, Galli dicunt, *brevet.* Goth. *Breves, brevia, brevicula* pro eisdem ſunt; τὰ βρέβια Græci vocant. nominatim Zonaras *in Carthagin. Concilio*, & Julianus *in epiſtola ad commune Judæorum.* utuntur & frequenter libri βασιλικῶν, dum rationes, volumina, vel corpora rationum ſignificant: quæ quidem per ſe ſola fidem non faciunt. *l. inſtrumenta. l. exemplo. ſupr. de probat.* & ideo non poteſt fiſcus ex breviariis confiſcati rationibus quemquam convenire, quaſi confiſcati debitorem; & hoc hic ſtatuitur. Alioqui enim brevitas chirographi non minuit fidem. *l. ſi aliquid. ſupr. de donat.* Mod. 53 *Sub.* utilis fiſco, *l.* 7. *ſupr. de probat.* 54 *Contractorum, in C. Theod.* 55 *l.* 2. *ff. de fide inſtrum.* 56 *l.* 5. *l.* 6. *l.* 7. *ſupr. de probat.* 57 Redhibitio hic, ſolutio eſt, oratio vero ita hic legenda, *nullus de his, quorum nomina conſcripta ſunt, ad redhibitionem urgeatur.* 58 *Urgeantur:* cætera abſunt a C. Theod. 59 Ex brevi debitoris ſui privatus creditor neminem convenire poteſt, quaſi debitoris debitorem.
60 Perperam antea legebatur, *de fide inſtrumentorum*, cum in *C. Theod. legatur de fide & jure haſtæ.* 61 In fiſcali auctione hæc requiruntur, proſcriptio, *l.* 6. J. *h. t.* auctoritas procuratoris fiſci. *l.* 1. J. *h. t.* Haſta, *l.* 6. J. Præco, Quæſtor, addictio, *l.* 4. J. *h. t.* 62 Fiſcalis haſta, auctio eſt, quæ fit a fiſco de bonis caducis, vel commiſſis, vel obligatis. Dicitur autem haſta, quod ejus venditionis ſignum eſſet haſta in foro poſita. *Goth.* Et quæ ita vendebantur, ſub haſta venire dicebantur, ut ſub corona captivi: quod eorum venalium ſignum eſſet corona captivi impoſita. Feſtus: *Haſtæ ſubjiciebantur ea, quæ publice venundabant, quia ſignum præcipuum eſt haſta.* Mod. Cicero 2. *offic. & Philipp.* 2. 12. *ad Attic.* 3. *Orat. de lege Agraria.* Dion. 46. & 6. Valer. 3. & 6. Seneca 1. *de Ira, & de conſolatione ad Martiam c.* 20. Macr. 2. *Sat.* 2. Juven. *Satyr.* 3. & 14. Joſeph. 22. *vetus interpres Horatii* 1. *Satyr.* 6. *ad verſum, Si præco parvas.* ad haſtam quoque fiebant locationes. Colum. *in præf.* 1. *de re ruſtica.* Ovid. 4. *de Ponto elegia.* 5. & 9. Cornelius Nepos *in vita Attici.* Livius 39. & 43. Seneca *ſuaſor.* 6. Tert. *Apologet.* 63 Al. *auctionibus.* Adjectio quid eſſet, dixi *l.* 1. J. *de vendendis reb. civitatis. lib.* 11. *tit.* 31. Goth. Vide ad hunc tit. Menoch. *de Arbitr. jud. lib.* 2. *caſ.* 129. & de ſubhaſtationis & licitationis ſolennitate, vide Peregrin. *de jure fiſci, lib.* 6. *tit.* 1. Surd. *deciſ.* 46. *num.* 1. Anſ. 64 Cujus. 65 Fiſcus capta pignora ex cauſa judicati, ſine haſta aut haſtarum ſolennitate vendere non poteſt. Quæ ſine haſtis ejusmodi venditio intercedit, reſcinditur facta debitori fiſci (debitum offerenti) poteſtate recuperandi pignoris ac fructuum, perceptorum ſimul & percipiendorum. 66 Præſumitur mala fides, ubi non ſervatur ſolennitas. vide Alciatum 3. *præſumpt.* 13. 67 Malæ fidei emptor tenetur de fructibus etiam percipiendis. *Goth.* Nec obſtat *l. ſi fundum.* §. *de rei vindic.* quæ dicit malæ fidei emptorem de perceptis fructibus teneri. male enim colligunt, qui hinc colligunt, ergo de percipiendis fructibus non teneri.

2. Imp.

2. Imp. GORD. A. Heracleoni.

DUplex ratio deſiderium [1] tuum juvat: & quod prætermiſſa haſtarum ſolennitate poſſeſſiones tuas ex officio [2] diſtractas ſuggeris: & quod pretii vilitate [3], ob exiguum debitum gratioſam [4] emptionem in fraudem tuam, in utilitatemque [5] rationum mearum, adverſarium commentum fuiſſe dicis. Quapropter illicita iſta redargue, tam indemnitati fiſci conſulturus, quam tuæ ſecuritati operam laturus [6]. PP. 5. Kalend. * GORD. A. & AVIOLA CONSS. 240.

3. Idem A. Criſpo.

ETſi [7] inſtrumenta emptionis non extent, quibuscunque tamen probationibus uxor tua oſtenderit [8] ad ſe eam domum pertinere, quam a fiſco ejus nomine dicis comparatam, pretiumque ab ea exolutum, & in eam dominium tranſlatum, fruſtra fiſcum ex perſona matris [ejus] referre quæſtionem Procurator meus non ſinet. PP. 5. Kal. Novembr. GORDIANO A. V. & AVIOLA CONSS. 240.

Intra tempus in ſubhaſtatione ſtatutum quilibet veniens admittitur, licet res jam alteri fuerit vendita. Bart.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Marcellinæ.

SI [9] tempora, quæ [10] in fiſcalibus [auctionibus [11]], vel haſtis ſtatuta ſunt, patiuntur, cum [12] etiam augmentum te facturam eſſe profitearis: adi rationalem [13] noſtrum, ut juſtam [14] uberioris pretii oblationem admittat. PP. 3. Id. Jan. *Sirmii*, ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

Venditio facta a fiſco ſolenniter non retractatur prætextu reſcripti, vel minoris ætatis. Bart.

5. Imppp. VALENT. VALENS & GRAT. AAA. ad Viventium P. P. Galliarum [15].

QUæcunque [16] pro reliquis prodigorum [17] in annonario titulo, cæterisque fiſcalibus debitis, in quibuscunque corporibus ſub auctione licitanda ſunt, fiſco [18] auctore vendantur: ut perpetuo [19] penes eos ſint jure dominii, quibus res hujuscemodi ſub haſtæ ſolennis arbitrio fiſcus addixerit, & ſi quid [20] unquam, ut a fiſco facta venditio poſſit infringi, auctoritate reſcripti fuerit impetratum, nullus obtemperet: cum etiam minoribus [21], ſi quando aliquid ex rebus eorum pro fiſcalibus debitis adjudicatur emptoribus, repetitionis [22] facultas in omnem intercipiatur ætatem. Dat. [23] 3. Non. Novembr. *Trev.* VALENTIN. NB. P. & VICTORE CONSS. 369.

Qui ſolenniter emit a fiſco, ſolum ad pretium tenetur, & ob aliud debitum non convenitur. Bart.

6. Iidem AA. ad Felicem Comit. ſacr. larg. [24].

SI qui, [25] proſcribente [26] ac diſtrahente fiſco, debitorum fiſcalium emerint facultates: pro earum rerum tantum pretio obnoxii ſint, quas eos patuerit decurſis [27] haſtis, & proſcriptione habita comparaſſe. Nam ita eos munimus, ut nullius conventionis [28] [reliquorum [29] fiſcalium nomine [30]] patiamur extrinſecus ſubire jacturam. Dat. 7. Id. Mart. [31] *Martianop.* VALENT. & VALENTE AA. CONSS.

7. Imp. ZENO.

SI [32] alicujus bona publicentur, atque vendantur, licet tam Comiti rerum privatarum [33] Auguſti, quam [34] ſcholæ Palatinorum, quam [35] etiam fiſci Advocato emere aliquas res ex eadem auctione, isque contractus a nemine calumnietur. PP. 3. Kal. Aug. poſt Conſul.

TIT. IV.

DE VENDITIONE RERUM FISCALIUM CUM PRIVATIS COMMUNIUM.

Ratione partis fiſcus poteſt vendere totum. Bart.

1. Imp. ALEX. A. Epicteto.

FOrma [36] eſt, quotiens ad fiſcum, vel [37] minima portio rei pertinet, ut univerſa a procuratoribus meis *diſtrahatur* [38]: ſed pretium partis tantum in fiſcum redigatur, reliquum dominis partium reſtituatur. Emptorem igitur prædiorum, de quibus libellum dediſti, apud ſuum Judicem conveni, uſurum defenſionibus [39], ſi quæ ſibi competunt. PP. 7. Kalend. Octobr. FUSCO & DEXTRO CONSS. 226.

TIT. V.

NE FISCUS REM, QUAM VENDIDIT, EVINCAT.

Res fiſci ſolenniter vendita non evincitur, licet non pertinuerit ad ſtationem venditoris: & officiales invicem experiuntur etiam durante officio. Bald.

1. Imp. ALEX. A. ad Hermiam.

GRaviſſimum [40] verecundia mea duxit, ut [41] cujus rei pretium, cum bona fide eſſet addicta, ſemel fiſcus acceperit, ejus controverſiam referat. † Non ſolum ergo emptorem ab eadem ſtatione [42], ſed ne ab alia quidem quæſtionem pati debere æquum eſt: cum etiam in his venditionibus emptore non inquietato officia inter ſe poſſint experiri. Dat. 15. Kal. Maji, MODESTO & PROBO CONSS. 229.

2. Impp. HONOR. [43] & THEOD. AA. Palladio P. P. Orientis.

REtractare [44] fiſcum, quod ſemel vendidit, æquitatis honeſtatisque ratio non patitur [45]. Dat. Kalend. Jan. CP. MARTIANO A. & ADELPHIO, CONSS. 451.

TIT. VI.

DE HIS, QUI EX PUBLICIS RATIONIBUS MUTUAM PECUNIAM ACCEPERUNT.

Qui accepit pecuniam mutuam ab officialibus fiſci, tenetur in quadruplum. Bart.

1. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Probum P. P. [46].

SI [47] quis ab exactoribus, tabulariis, [& [48]] arcariis, officiisque [49] rationum fœnebrem pecuniam ſumpſerit, detectus in eodem, ad quadrupli [50] pœnam ex hac auctoritate teneatur. Dat. 4. Idus Mart. *Trever.* VALENT. & VALENTE CONSS. 365.

Qui aurum fiſcale ſumpſit mutuo ſine principis licentia, & qui dederit, pœna hic inſerta tenetur. Bart.

2. Imppp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. Palladio P. P. [51].

SCiant [52] omnes [53], accipiendi mutuo ex largitionibus ſacris auri non patere cuiquam facultatem. Quod ſi quis aurum ex noſtro ærario privatis commodis profuturum, occulte [54], aut cautionis, aut ſponſionis fide, ut debitor redditurus [ſine noſtra auctoritate [55]] acceperit [56]: ablatis bonis omnibus, perpetuæ deportationis ſubdetur exilio. Is etiam qui ex memoratis theſauris ſub ſpecie publici creditoris aurum cuiquam commodaverit, aut [57] tradiderit: capitali ſententiæ [58] ſubjugetur. Dat. 12. Kalend. Aug. *Heracleæ*, EUCHERIO & SYAGRIO CC. 381.

1 Preces. 2 Officialibus. 3 Vide *l.* 3. *ſupr. de jure fiſci.* 4 *l. ſi quos.* 16. *ſupr. de reſcind. vendit.* 5 *Inutilitatem*, Cujac. ut in *l. ult.* §. 1. *ſupr. de ſervit. & aqua. l.* 1. §. *hæc autem. ff. depoſiti.* reprehenſus a Roberto 1. *recept. l.* 31. 6 Opem daturus. 7 Fiſcalis ſeu quæ a fiſco vendente fit emptio, etſi non extent ejus inſtrumenta, aliis modis probari poteſt. adde *l.* 10. *ſupr. de fide inſtrum. l.* 17. *ſupr. de pactis.* Goth. Vide Boer. *deciſ.* 81. *num.* 5. Anſ. 8 *Sub.* apud procuratorem Cæſaris. 9 Si ſtatuta fiſcalibus emptionibus tempora patiuntur augenti tibi pretium venditionis a fiſco factæ, præferri licet ei qui pridem emit. *Synopſ. Baſil.* 56. *tit.* 13. περὶ τοῦ δημοσίου. *ex tit.* 6. *cap.* 1. 10 Adde *l.* 1. *in fin.* J. *de vendendis bonis civit. lib.* 11. *tit.* 31. Eſt vero tempus viginti dierum certis caſibus. Quoties ob debita fiſcalia neceſſe eſt domibus ſacris prædia vendi, actor ſive œconomus id per dies viginti proſcriptum & propoſitum habet & ea plus offerenti addicit. *Novell.* 120. *c.* 6. *verſ. Poſtquam vero iſta. Auth. Hoc jus porrectum.* 10. *ſupr. de ſacr. Eccleſ.* 11 Incluſa deſunt in vet. 12 Poſt addictionem factam a fiſco emptori, adjectio & licitatio admitti intra certa tempora poteſt, *ut hic*, poſt addictionem factam a Republica, adjectio non admittitur, niſi ex privilegio. *l.* 21. §. 7. *ff. ad municip.* Melioris eſt conditionis fiſcus, quam Reſpublica aut municipium. ſic fiſcus ſemper hypothecam habet. *l. aufertur.* 46. §. *fiſcus.* 3. *ff. de jure fiſci.* Reſpublica, nonniſi ex privilegio. *l.* 2. J. *de jure Reip. lib.* 11. *tit.* 29. *l. Antiochenſium.* 37. *ff. de reb. auct. jud. poſſ.* Fiſcus πρωτοπραξίαν habet, *l. quod quis.* 34. *ff. de reb. auct. jud.* Idem nunc habet etiam Reſpublica. *l. bonis.* 38. §. 1. *ff. de reb. auct.* olim non habuit, niſi ex privilegio, ut ex epiſtola Plinii ad Trajanum conſtat, *ubi de exactione pecuniarum.* Lis fiſcalis terminanda eſt intra menſes ſex, lis Reipublicæ intra triennium. atque ita melior eſt fiſci, quam Reipublicæ conditio, *l.* 1. §. *illud.* 3. *ff. de ædilitio.* vid. Cujacium 2. *obſ.* 24. 13 *Id eſt*, procuratorem. *Cont.* 14 *Ut juxta jus uberioris &c.* 15 *C. Theod. eod. tit. l.* 1. 16 Venditio facta a fiſco ſolenniter prætextu reſcripti, vel minoris ætatis non reſcinditur. *Bart.* 17 *Prodiga* ſunt annonæ τρώξιμα. quibus opponuntur corpora. 18 Fiſcus hic pro Cæſaris procuratore ſumitur. 19 Fiſcalis haſtæ rite factæ ea vis eſt & fides, ut nec reſcripto principis, nec beneficio ætatis, nec alia ulla ratione convelli poſſit, *ut hic*, niſi minor fuerit indefenſus. *l. ult.* §. *ſi propter publ. penſit.* 20 Siquidem. 21 Dixi ad *l.* 6. *ſupr. de remiſſ. pignor.* contra judicatum vide apud Paponem 18. *Arreſt.* 1. 22 Repetitionibus. 23 Al. 3. *Id. Mart. Ravennæ &c.* 24 *C. Theod. eod. tit. l.* 2. 25 Al. *quis.* 26 De proſcriptionibus, vide *l. ult.* §. 5. J. *de delatorib. h. lib. tit.* 11. *l.* 15. §. 32. *ff. de injuriis.* Goth. Proſcriptio fit de futura auctione propoſitis libellis in celeberrimis urbis locis, ut Cic. ait *pro Quinctio.* Theophilus ἐν τοῖς περιφανέσι τῆς πόλεως μέρεσι & Imp. *l. ult.* J. *de delat. & l. pen.* §. *de defenſor. civit.* quod in alienationibus eccleſiarum fit per dies 20. ſcripto propoſito. *Nov.* 120. Multa ergo exiguntur in auctione fiſc. Proſcriptio, Auctoritas procuratoris, Haſta, Præco, Quæſtor, Addictio, quæ fiat juſto pretio. *Mod.* 27 *Decurſis haſtis* hic dixit, ut §. *habitis haſtis. l.* 1. §. *h. t.* 28 *Conventioni*, *in C. Theod.* 29 Qui a fiſco auctionante comparat, pretium tantum præſtat, non reliqua fiſco debita, *l.* 2. *in fin.* J. *de fund. rei priv. l. ult. in princ.* J. *de cenſib.* nec obſtat *l. Imp. ff. de publican.* quia ea non loquitur de venditione fiſci, ſed de venditione a privato facta. quo caſu reliqua omnino emptorem ſequuntur, ut eſt *in tit. ſine cenſ. vel rel. fund. comp. non poſ.* Magis urget *l. prædiis. ff. de jur. fiſc.* ad quam dicendum eſt; obtinuiſſe aliquando idem in fiſco: quod in privato hic; Sed cum id plerique refugientes nollent a fiſco emere, remiſſum & mutatum eſſe ab Impp. Valentiniano & Valente facilius inveniendi emptoris cauſa. *Mod.* 30 Abſunt a *C. Th.* 31 Al. *D.* 3. *Id. Novemb. Valentin. N. P. & Victore Coſſ.* 32 Ex collectione *Ant. Aug.* 33 Ad curam comitis rei privatæ & procuratorum provincialium, quæ ſub ejus diſpoſitione erant, pertinebant, quæ publicabantur. *l.* 3. *C. Theod. unde vi.* 34 Palatini pertinebant ad Comitem patrimonii ſeu rerum privatarum. 35 Fiſco vendente, Comes rerum privatarum, Palatini & patronus fiſci poſſunt etiam res auctioni proſcriptas emere. *l. ult.* §. *de reſcind. vend.* facit *l.* 2. §. *tutor.* 8. *ff. pro emptore.*
36 Forma, id eſt, regula, canon. hinc *formatæ epiſtolæ* in veteribus conciliis vocantur, quas Græci vocant canonicas, hic forma pro lege ſumitur in *l.* 4. *ſupr. de jure fiſci, l. divi.* 31. *D. de admin. tut.* 37 Fiſcus ſolidam rem ac totam invito etiam ſocio vendere poteſt. ſic enim facilius invenit emptorem, & tamen cum ita vendit, pars pretii ſocio ſervatur. *l.* 2. *ſupr. de comm. rer. alien.* Goth. Porro vide ad hanc legem Cagnolum *ad procem. ff. n.* 3. Aretin. *conſ.* 38. *col.* 2. Cottam *in memorab. in verb. lecta. ad fin.* Baldum denique *conſ.* 156. *lib.* 3. Mod. 38 Diſtrahantur. 39 Al. *additur*, ſuis.
40 *Pars epiſtolæ Imp. Alexandri ad Rationalem.* 41 Qui rem emit a fiſco, pretiumque ſolvit, non amplius convenitur. *Synopſ. Baſil.* 19. *tit.* 13. *lib.* 56. *tit.* 6. *c.* 9. 42 Statio, manſio, in qua officium fiſcale conſiſtit. *l.* 2. *ſupr. de ſolut.* ut ſit ſenſus: Quod una fiſci ſtatio emptori addixerit, id alia retrahere non poteſt. *Goth.* Vide Cujac. *lib.* 2. *obſerv. c. ult.* S. L. 43 *Al.* Arcad. 44 Fiſcus re ſemel vendita retractare venditionem nequit. *Synopſ. ib. c.* 10. *l.* 1. J. *de fundis rei privatæ. lib.* 11. *tit.* 65. *l.* 5. J. *de locat. præd. civil. lib.* 11. *tit.* 70. *l.* 17. *ff. de evictionib. l.* 6. J. *de fundis patrimonialib.* niſi διοικητὴς, id eſt, ſervus bonorum adminiſtrator venditus ſit: Nam hujusmodi ſervorum venditiones retractantur. *Synopſ. ibid. l. bonorum.* 8. *ff. de jure fiſci. l. interdum.* 16. *ff. de publican. l. penult. ff. de offic. præt.* Goth. Vide Afflict. *deciſ.* 304. Anſ. 45 Niſi forte bonorum actores venierint, *l. bonorum. ff. de jur. fiſc.* quo caſu hæc conſtitutio locum non haberet, quia cum hi noverint omnia, quæ ad bonorum rationem ſpectant, evertitur plane & perturbatur ratio omnis eorum diſtractione. adeo ut *in l. ult. ff. de offic. præf.* eleganter dictum ſit; *actoris amiſſionem ad totius domus everſionem pertinere.* Mod.
46 *C. Th. lib.* 10. *tit.* 24. *l.* 1. *ex quo hæc inſcriptio reſtituta eſt, antea enim in quibusdam non legebatur.* 47 Fœnori pecuniam fiſcalem ſumens ab exactoribus, vel tabulariis, vel officialibus, quadruplum reſtituere tenetur. *Synopſ. Baſil.* 9. *tit.* 5. *ex tit.* 6. *c.* 11. Goth. Vide Munn. de Eſcobar. *de Ratiocin. c.* 14. *num.* 31. Petr. Heig. *quæſtion.* 22. *num.* 48. Menoch. *de arbitr. jud. lib.* 2. *centur.* 6. *caſ.* 586. *num.* 12. 13. Anſ. 48 Deeſt in *C. Theod.* 49 *Officiisve*, *in C. Theod.* 50 Vide quæ ſcripſi ad *l.* 45. §. 13. *ff. & l.* 8. *ſupr. de jure fiſci.* 51 Comiti ſacr. largitionum in *C. Theod.* 10. 24. *l.* 2. 52 Mutuum ex fiſcalibus theſauris nemo accipere debet. Quod ſi quis ex ſacro ærario, vel occulte, vel palam, vel ſub cautione ſcripta, vel fidejuſſoribus mutuum ſumpſerit, proſcribitur & deportatur, itidemque is, qui de ſacris theſauris mutuum dederit, pœna capitis adficitur. *Syn. ibid. c.* 12. & 3. Harm. 5. §. 95. 53 *Neque dandi, neque accipiendi*, *in C. Theod. h. t.* 54 Occulte fieri interdum dicitur, quod fit ſine autoritate principis, de quo vide Corſetum *ſingulari, occulte.* 55 Abſunt a *C. Theod.* 56 Accepit. 57 *Ac*, in *C. Theod.* 58 *Sententia*, in *C. Theod.*